

dixerunt eam esse eandem cum materia istorum inferiorum. probatur hoc idem
 rationibus quarum prima est talis. Nam materia secundum se est potentia pura. Sed
 actus est qui distinguit septimo metha. Tolle ergo actus. tollis omnem
 distinctionem. Et quia materia celi est potentia pura. et materia istorum inferiorum
 est potentia pura. si absolueret per intellectum ab omni forma materia
 hic et ibi. non haberet per quid differeret. quia in potentia pura non potest esse
 distinctio. Et quia unitas materie est accipienda per indifferentiam ut Comen-
 tator in duodecimo methaphisice tradit. eo ipso quod materia talis absoluta
 ab omni forma. non habet per quid differat a materia istorum inferiorum. sic
 absoluta. oportet quod sit una materia et eadem per essentiam et eiusdem rationis hic
 et ibi. Preterea In tota rerum universitate non est dare duas res diversarum
 rationum que omnino equaliter distent a primo principio. Sed materie superi-
 orum et inferiorum secundum se accepte per necessitatem equaliter distant a deo seu a pri-
 mo principio. quia cum quelibet earum secundum se accepta sit pura potentia. que-
 libet distabit a puro actu qui est deus tanta distantia. qua maior nec est nec
 esse potest inter entia positiva. igitur non possunt esse diversarum rationum secundum se
 essentialiter differentes. Sed diceret quis. Sicut species eiusdem generis diffe-
 runt suis differentiis. differentiis autem non differunt aliis differentiis sed se ipsis
 Sic res opposite differunt suis principiis scilicet per materiam et formam. principia
 tamen differunt seipsis. et ideo sicut forma celi et forma rerum inferiorum differunt
 seipsis. sic materia celi et materia inferiorum differunt seipsis. Respondetur quod
 non sequitur. quia quousque principia formalia possint secundum se differre et inter se et
 a principiis potencialibus. tamen principia pure potentialia secundum se considerata. nul-
 lo modo ab invicem differre possunt. Patet ergo quod secundum opinionem domini Egidij
 de Roma. necesse habemus ponere in celo materiam eiusdem rationis cum ma-
 teria illorum inferiorum. loquendo de materia per omnimodam indifferentiam
 formatam. secus si loquimur de materia quantum ad modum recipiendi formas
 siue quantum ad transmutationes ad formas quia tunc est alterius rationis hic et ibi.

Capitulū quintū in quo ostendit̄ q̄ dictarū opinionū sit p̄ba-
 bilior et secundū hanc solvant̄ rōnes aliorum.

Respondeo superioribus ostendi capitulis. quid secundum quos doctores
 de hac tenendum sit materia. Neque enim plures respondendi circa
 hanc materiam inveni modos. Ideo consequenter. quia unus utraque
 quod partem veram arbitrari non potest. ad unum illorum me determinabo
 et aliorum rationes probabiliter enervabo. Et quia modus dicendi domini Egidij de
 Roma mihi probabilior videtur. efficaciorque habet rationes. quibus in veritate
 responderi non possum. Ideo dico ad presens cum eo. quod in celo necesse
 est esse materiam. contra Commentatorem. et eiusdem rationis cum materia illorum
 inferiorum. Contra beatum Thomam. Neque etiam iam intendo per ista opinioe plu-
 res adducere rationes. ne nimium plures tedio afficiam audientes. Si tamen hanc
 materiam ad saturitatem aliqui videre voluerint legant tractatum domini Egidij